

XVIII/168
(4)

JOSEPHI JOACHIMI

LORGÆ

VALENTINI,

GRAMMATICES IN ACADEMIA VALENTINA

PROFESSORIS,

ORATIO


IN DIALECTICÆ

LAUDEM.

HABITA

In eâdem Academia à clarissimo, & egre-
gio adolescente

DON SALVATORE SANZ
DE VALLES.



VALENTIÆ EDETANORUM:

APUD JOSEPHUM GARCIAM, ANNO MDCCXXIX.

R. A. P. Pti. Fr. JOSEPHI EMMANUELIS
Minyanæ Ordinis SS. Trinitatis ad D. Mariae V.
de Remedio tertium Cœnobiarcbæ Eccl.
Judicium.

BONAM est quod habeam gratiam R. A. D. D. Josepho Rivio Barcinonensi Canonico, & in Dicecefi Valentina Vicario & Gubernatori Generali, qui tenuitatem meam, ut in publicum cum censoria virgula prodiret, dignam existimavit. Pronunciandi siquidem mihi manus injunxit de Oratiuncula in laudem Dialeticæ, quam scripsit Josephus Joachimus Lorga, Grammatices Professor, & in Academia clariss. Salvator Santi, ex ephebis vix emeritus, dixit non sine juventutis plausu, & cunctorum oblectamento. Eam bonam esse, exasciatam, & politam vident planè qui loilio non visitant. Certè habet bene scriptum opus Lectorem ex se satis propitium; si secus, ut quis ferat, nulla efficitur commendatione. Hæc tantum, ut rana Seriphia non videat taciturni. Plura dicere vetat officii ratio, ne ex caperata frontis censore in Laudatorem intempestivum prolabi videar. Personam enim mutare non lubet. Cæterum, prafatam Oratiunculam nihil Ecclesiasticæ doctrinæ, nec fidei Catholicae absolum continere liquido dejerare ausim. Dabam in eodem Cœnobia v. Idus Maji, an. MDCCXXIX.

Imprimatur.
De Rius, V.G.

Fr. Josephus Emmanuel Miniana.

JOSEPHUS JOACHIMUS LORGÆ

LECTORI BONAM MENTEM:

Ecce tibi, Lector, Oratio, quam in Dialecticæ laudem conscripti, ut eam clariss. Salvator Sanz de Vallès antequam Dialecticam propugnaret in literaria illa velitatione (*Ternum vocant*) in Academia Valentina quotannis fieri solita, recitaret. Ad eam autem scribendam non delegi argumentum, sed ab egregio illo adolecente est ad me delatum. Compositum præterea est facilis, & ut vides, stylo certè simplici, ne quid esset saltus, quod ad verborum juncturam, & coagulationem attinet, in quo quis posset offendere; non enim quasi barbaras, & inauditas dicendi formulas, atque inanis verborum strepitamenta, quibus eloquentia nomen parare se nonnulli arbitrantur: qua ex te fit ut legentes graviter, potius mirentur, quam ut liquido possint intelligere. Nolo enim te ad orationem meam, OEdipo comitatum accedere, neque te etiam ad Apollinem mittere. Plana sunt omnia. Possem ego alias edere Orationes, quas styli exercendi causa conscripsi. Tum Selectas, ut vocant, Ciceronis, Hispano à me sermoni donatas: tum etiam elegantissimas Phædri Augusti liberti Fabellas, quas ego feci Latino-Hispanas: & haec quidem brevi, ut ipero, lucem videbunt, propterea quod ita me amicorum, & doctorum pariter virorum hortatur auctoritas. Interea tamen volui hanc qualcumque orationem, quasi animi, & studii in me tui exploraticem præmittere. Quia si te leni sinceroque in me offenderit animo, justam erit, quod tibi habeam: hac una de causa gratiam. Sin autem mihi absenti derraxeris, & me maledictis incesseris, quam recte id feceris viderint eruditæ, quorum maximi tantum facio sententiam. Ego vero nihil præterea laborabo, quin potius mihi tacitus gratulabor, quod ut sinistrum hac in re proderes: judgmentum, tibi copiam fecerim. Vale ac quiesce, si sapis.

JO-

JOSEPHI JOACHIMI LORGÆ

VALENTINI

GRAMMATICES IN ACADEMIA VALENTINA

PROFESSORIS,

ORATIO

IN DIALECTICÆ LAUDEM.



I quantæ est hujus loci auctoritas (Recitor amplissime, sapientissimi Doctores, vosque Adolescentes bonarum Artium studiosi) tanta in me esset, & ad recte differendum, & ad ornata dicendum facultas, non profectò vererer hoc dicere apud vos die, in quo pristinam nostræ Academæ consuetudinem, à multis ante me disertissimis adolescentibus servatam, superioribus annis intermissam revocare impellor. Nam cum nullam apud me viderem loquendi, nedium bene dicendi facultatem, id certe erat causa, cur ego hujus auctoritatem loci contingere minime audebam, nec in hujusmodi curriculo me quoque versari fas esse ducebam, nisi ad id me patrius Scholæ mos, & diligentissimi pariter præceptoris compulisset auctoritas. Verebar enim ne mea, hoc est, adolescentis nihil exercitati oratione, nullo illustrata nitore, nullisque culta ornamenti, aut styli ruditate aures vestras gravius offendarem, sicque merito temeritatis summa, vel audacia singula-

ris

ris judicium subirem, quod non iis praesidiis, quibus me ad hoc munus obeundum instructum esse oportebat, illud audacter suscepimus; sed spero tamen pro vestra ingenii benignitate, & studio singulari, quo omnes bonarum Artium studiosos prosequimini, vosque qui bonique hoc officium consulturos, cum eo solum consilio a me praestetur, ut inde meam in hanc clarissimam Academiam, cui prima Artium libamina me debere profiteor, testamatam relinquam voluntatem. Quoniam igitur hodierno die in hunc locum ornatissimum convenistis, vos oto, atque obtestor, ut mihi aliqua de ea Philosophiae parte, qua a Philosophis Dialectica, seu ratio subtilis nominatur, brevi oratione dicere meditanti, exigui temporis usum ne denegatis. Vos quoque auditores Aristoteles studiosissimi rogo, ut quoniam ejusdem disciplina vinculo una mecum conjuncti estis, adstisque animo, & me de nostro opniump studio serio, & benevolè differentem libenter auditatis. Et ne longius abeam, quam par est, quamque temporis angustia videretur postulare, Dialectica (quam instrumentum cujus praesidio ceterae Artes utuntur, recte dixit Aristoteles, idque etiam frequens Philosophorum sententia confirmat) ita cum hominum natura conjuncta est, ut cum in naturali usu rationis verisetur, atque orationis via, nempe obscurum, ambiguum, & falsum feliciter emendet, una cum hominibus natam intelligere facile quis posset. Nam cum homines naturali usu disputantes, munitique praesidiis naturae, ingenio nimis, & judicio differentes, quae sint in disputando verae, quae falsa, quibusque positis quid sequatur, animadverterent, hanc certe artificiosam Dialecticam a naturali eorum usu, qui propter consuetudinem cum celeri animorum motu callidius disputarent, originem duxisse putandum est. In hanc autem videntur accipienda sententiam, illa quae omnium ore habentur axiomata: omnis ars imitatur naturam: & omnis ars profecta est a natura: & nihil est in arte, quin prius fuerit in natura. Hinc igitur necesse est, ut homo capax rationis, & consilii plenus aliquam quasi ministram comitemque naturae, cuius praesidio verum ac rectum de rebus judicium ferre possit, neve obscuris rerum involucris mens suffusa labatur, divino quodam consilio datam sibi ad id facultatem agnoscat;

cum-

cumque haec omnis virtus in ratione scientiaque differendi (quae Dialectica ipsa est) continetur, artem esse, eamque praestantissimam neminem vestrum ignorare facile credam. Nam quid, quæso, moverit Platonem, ut eam apicem vocaret, nisi quod omnium artium videretur praestantissima? Ad hanc autem, cum omnes artes, & disciplinas (quæ ut sunt re ipsa liberales, omnique etiam libero homine dignæ, ita honestissimo, & præstantissimo quoque nomine appellantur) ipsa quasi ministra, & comes prævia constitutæ, quis est forsitan qui illam honestissimo, & ornatissimo etiam nomine fraudare contendat? Nemini, credo, dubium est, quin reliquarum artium dignitas apprime commendetur; sed ita commendatur ut per se solas nullam profectò secum afferrent commendationem, si Dialecticæ artis praesidio carerent, neque ab eis tantum opis acciperent; siquidem haec ita vim omnem diligenter quavis de re differendi complectitur, ut in veris a falso secernendis cumulatissime, rectissimèque illarum omnium actus instituat, & rationes. Sanè Platonem solitum dicere acceptimus, solam Dialecticam scientiam nominari debere, proprieaque haec sola sine praesidio reliquarum sua principia demonstrat. Quare ego ceterarum disciplinarum parentem appellare non dubitaverim. Quis enim tam leviter est eruditus, qui nesciat, quanto fuerit ubique pretio, quanto honore habita, quantoque itidem ejus fuerit estimata utilitas? Si rem enim paulo altius repetamus, tanto in honore, & pretio ductam fuisse reperiemus, ut non sine causa, eademque honestissima, optima, & præstantissima ingenia suum studium ad eam ediscendam, excolendamque contulisse videantur. Atque ut hujus rei præclarissimum quoddam afferam testimonium, certe Zenon ille Stoicorum parens acutissimus, juxtaque prudentissimus, cum jam satis artibus operam nassasse, seque non vulgariter profecisse cognovisset, noluit tamen in Dialectica præcipuam operam non locare. Tanta erat in Zenone estimatio, tamque ardens in rem Dialecticam studium! Neque vero id vobis (Auditores ornatissimi) mirum videri debet; optimè enim norat vir experientissimus, & callentissimus quantam utilitatem, quantamque commoditatem ex ejus studio parare sibi homines possent. Nam

si-

simulac hominum mentibus diligenter imbibitur, quid non, amabo, efficit? Quid commoditatis, quid honestæ etiam oblectationis in rerum usu, atque exercitatione per omnes vita rationes Dialectica non parit? Quid enim, queso, utilius, quam eam artem recte quavis de re differendi tenere, cuius præsidio magnos in quavis alia facultate progressus facere, maximumque doctrinæ, sapientiæque fructum capere quivis facile posse? Compertum quidem omnibus haberi reor, quantum commodi, & jucunditatis natura hominum afferant ceteræ scientiæ ac disciplinæ, quantus sit earum usus in rebus gerendis, & quanta ab eis utilitas ad rerum administrationem, procurationemque capitatur: ita denum ut ab ipsis divitiæ, honores, fama, & reliqua fortunæ bona, vel orientantur, vel complentur. Et ut verba in pauca conferam, ita tandem illarum utilitas commendatur, ut tum fore beatas, fortunatasque Respublicas dicentur, ubi artium disciplinarumque studia colerentur. Ac ne multis hujuscce rei morer testimoniis, tamdiu legitimus floruisse Atheniensium Rempublicam, quamdiu Solonis præclarissimi, & sapientissimi Philosophi accepimus tenuisse disciplinam. Si tanta ergo commoda, atque emolumenta, si tantam felicitatem alia patiunt disciplinæ, quanta secum afferre Dialecticam putabimus, cum hujuscce artis præsidio destituti, ad alias artes, scientiasque penetrandas, tractandasque accedere non valeamus? At mihi aliquis videtur dicturus: quæ potest esse in Dialectica utilitas, & oblectatio, cum tota ferè spinosa sit, & præceptionum scopolis acutissimis discentium animos, mentesque collidat, in cuius studio ita molesto efficiunt rādio propter tot definiendi, dividendi, demonstrandi regulas, ut non nisi magnos gravissimosque capiamus labores? Fateor quidem (Auditores optimi), ingenti nos affici molestia & summos, durissimosque exantlare labores, dum in unius Dialecticæ studiis versamur. Non ego inficias ierim Auditores; verum necessarios maximè, & opportunos, & præmio magno dignissimos sustinemus labores. Quotus enim quisque est, qui ad magna se pervenire sine labore contendat? Reliquas enim disciplinas, quis, nisi sedulam, ac strenuam operam Dialectica dederit, atque impensis in ea laboribus non contem-

nen-

IN DIALECTICÆ LAUDEM.

5.
nendis, sese comparaturum speraverit? Volvit, quæso vobiscum dignam illam Venustino ore sententiam: *Nil sine magno vita labore dedit mortali bus.* Neque minus ad rem face videtur illud:

*Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit, & alfit.*

Et ne tantum Ethnicos Scriptores in medium afferre videamus, divini quoque spiritus sententiam in memoriam vestram revocate. *Qui adit scientiam, adit & laborem.* Huc etiam accedit, quod eam proculdubio, quæ ab aliis oritur disciplinis, non caperemus oblectationem, nisi hæc artium præclarissima fulgentissimam suam facem alii omnibus prætulisset disciplinis. Ergo cum hæc ita sint, ut verè sunt, debemus omnes nervos ad hoc quidquid sit in Dialectica pulveris, & laboris superandum contendere, atque omni cura, cogitatione denique omni incumbere, ut illius deinde præsidio instruti ceterarum artium, scientiarumque interiora & arcana speculemur; timemur, perscrutemur. Nam si Philosophum Dialectica lateat, non profectò rerum caussas, ortus, & interitus nosceret: nec Astrologus celeres siderum motus diligenter spectabat: nec Medicus hominum valetudinem, & incolumentem; ut præcipuum scopum intuebitur: nec Jurisconsultus facile, & expeditè leges interpretabitur; quæ omnis Respublicæ stabilissimum plane dixerim firmamentum: neque denum Theologus cœlestia, & arcana penetrabit. Atque ut hæc facile ita esse intelligatis, apertissimo Tullii testimonio comprobentur. Cum enim Servium Sulpicium omnibus non ejusdem modò etatis Jureconsultis, sed iis etiam, qui ante eum fuerunt, præferre velleret, statim adjecit caussam, nunquam scilicet eum ad tantam juris scientiam fuisse perventurum, nisi eam didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare, definiendo, postremò habere regulam, qua vera & falsa judicentur. Poteram (ornatissimi Auditores) ex hoc tantum Ciceronis loco novam mihi copiam parare dicendi; sed ne nimis longus esse videar, neve molestia potius vobis fieri, quam voluptati, ulterius progrediar necesse est. Verum eti multis consultò supersedeam testimoniis, præclarum tamen illud Platonis tacitus præterire nullo modo possum. Septimo enim de Republi-

B

blica fieri non posse ait, ut intellectus sine Dialectica rem aliquam attingat. Atque hæc ita esse, ipse rerum usus & exercitatio nobis manifestè demonstrat. Sin autem minus, animadverte, quæso, Magnum illum Parentem Augustinum, quo nemo unquam in differendo subtilior, aut efficacior fuit, unde igitur illam ingenii vim, disputandique subtilitatem, qua olim omnes superabat, nisi ex utili Dialecticæ fonte hausisse existimabis? Angelicum Thomam in differendi etiam arte peritissimum, omnique scientiarum genere ad miraculum usque doctissimum; nunquid tantam divinæ sapientiaæ supellestilem sine Dialecticæ peritia comparasse cogitatis? Minime verò id quidem. Imò ad ejus minutissima scruranda, & observanda precepta eò validius incubuit, quò ad cœlestis disciplinæ thesauros necessariam prorsus esse existimavit. Quapropter quām sit Dialectica necessaria, vel ex iis omnibus, quæ paulo ante memoravimus quisvis facile potest intelligere, cùm ea sit instrumentum ad cæteras artium, quippè quæ magnos faciunt viros, & ad multa idoneos. Est enim illa quadam vis & ad cognoscendum, & ad rectè judicandum, quæ omnium scientiarum pene tralia è subtilitatibus industria perscrutatur, ut nullus sit in scientiis locus reliquus; quò non hujus præclarissimæ artis cognitio, & exploratio pervaferit. Ac proinde qui in hac arte scientiaque præstiterunt, iis in omni benè constituta Republica magnæ laudes, magnique honores sunt habiti, atque amplissima præmia tributa, cujus quidem artis professio Philosophorum propria existimatur, cùm eam à Philosophorum principe Aristotele, si non prorsus inventam, aliqua saltem ratione excoxitatam censeamus. Magnæ sunt profecto Aristotelis, quamvis Ethnico, habenda gratia, utpote qui prima symbola in hanc artem excolendam ornandamque contulerit, in qua multum sanè posteriorum utilitati consuluisse visus est. Verū maximæ sunt habenda, innumeraque etiam laudes tribuendæ splendidissimo Catholice Fidei Athletæ, cujus Scriptorum clypeo militans Ecclæsia Hæreticorum tela elidit, Angelico scilicet Thomæ, qui laudatam à nobis disciplinam ignorantiae tenebris delitescentem, sibi, & omnibus usque adeo instauravit, ut non immeritò *LINGUA ARISTOTELIS* appelleretur. Si enim illius commentariis faciem Sanctus Doctor non admovisset,

obscu-

obscurus Peripateticorum ille princeps videretur ineptire; nam cùm ante Divum Thomam esset ignotus, ipsius deinde industria fuit agnitus, atque in publicum protrusus, ita ut sapientissimus quoque Doctor hujuscæ artis inventor propemodum esse videatur. O mirum egregiumque Thomæ facinus! Tu veluti Doctorum compendium relegatas exulantesque disciplinas ad Literaræ Reipublicæ Academias in sua tanquam habitacula quodam quasi postliminio reduxisti. Tu Philosophiam omnem & Theologiam, ne dicam tantum Dialecticam, paulo ante in obscuris jacentes, judicio, & auctoritate tua non modò in lumen revocasti, sed omnibus ita numeris absolutas cunctis Orbis Academiis collocasti, easque excipiendas, excolendasque reliquisti, ut nihil sit nobis hac in parte desiderandum. Suspiciere jam in Cœlum licet, & securis contemplari astra luminibus non ut pecudum, & aliorum animantium ritu in humum visus trepidos figentes. Sed ne tandem longius mea sensim excurrat oratio, si fortunatas, & gloriæ dignas, ut antea memoravimus, prædicabant olim Civitates, in quibus literarum studia florent, quid de Urbe Valentina nostra omnium parente, & altrice dicam? Certe non parvum felicitatis gloriæque cumulum illi accessisse fatendum est: quandoquidem amplissima in ea viget Academia, quæ eruditissimos doctissimosque tulerit & ferat viros, qui non Dialecticam modò, sed omnes etiam artes, ac disciplinas magno omnium nedum indigenarum, verum & alienigenarum fructu, & admiratione tractarint, & tra-stant. Neque verò vos morari velim, Auditores, in commemorando quot, & quantos in Dialecticæ, & aliarum disciplinarum studiis amplificandis ornandisque diligentissimos, & literatissimos tulerit, & habuerit Schola Valentina viros. Sed tantum duo illa Academæ lumina, Patriæque ornamenta Joannem Gelidam Civem nostrum egregium, & Petrum Joannem Nunnesium nominabo; quorum ille ob multiplicem, & solertissimam, Philosophiaæ cognitionem, cui sanè Græcæ linguae & literarum omnium peritiam adjectit non vulgarem, in Parisiensi Schola ejus facultatis Professor clarissimus audivit. Vir profecto qui ob præclarissimas animi dotes, ingenique doctrinam, Lutetia primù Ludo, deinde Burdigalæ Prefectum esse meruerit. Hic verò doctissimas, & eloquentissimas Dia-

Dialecticæ , & Rethoricae lucubrations , uberrimosque Philosophie fructus in nostra , & aliis amplissimis Academiis , ingenii , & eruditioris sua monumenta dedit . Vir sanè , ut verbis utar eruditissimi Gasparis Scioppii , Philosophorum , & Philosophia peripateticæ facile princeps , & interiore Græcarum , & Latinarum literarum notitia , sermonisque elegancia nemini secundus . Et quidem meritò . Eo enim uno habet Academia Valentina , quem posuit cunctis Literariz Republicæ Dialecticis , Philosophis , Latinis , & Græcis scriptoribus cum maxima acceſſione gloria sine dubio comparare . Possem hoc loco (Viri ornatisimi) in hujus Athenæi laudes , honoresque summos referendos excurrere ; sed reprimam me , ne genus causæ confundam , neve extra causam aliud agere videar . Tum quia si ego præstare admiterer , ejus amplissimas , præstantissimasque laudes detinere ingenii culpâ viderer . Quare satis superque extollunt , summisque etiam laudibus efferunt tot , tantique viri , quos hic depictos intuemini , quippè qui omni virtutum scientiarumque supellestili ornatisimi , è fecundissimo hujus Scholæ finu prodiere , Apocalypses præsertim ille Penniger , extremi Tuba iudicii , Valentinus Vincentius Ferrerius Academæ hujus Conditor , spectatusque Patronus , qui quidem

— micat inter omnes,

— velut inter ignes

Luna minores.

Hactenus hæc tantum attigisse fas sit ; at cum tempus admodum , ut de iis rebus , quas acturi sumus recordemur , finem jam dicendi faciam , ne ab instituto defecisse videar , neve diutius vos meo dicendi genere , nulla orationis amplitudine compacto detineam . Vos tandem studiosi Adolescentes , videte qualis , & quanta sit Dialecticæ præstantia : animadvertisite utilitatem : nullis terreamini molestiis : nullisque parcatis laboribus . Cognoscite , quæſo , mecum necessitatem , atque ad hanc cæterarum disciplinarum parentem consequendam , quantum vires vestræ tulerint , incumbite , invigilate , sudate . Me certè vobis comitem , ac socium fore polliceor . Agite tandem , nostra res agitur : nobis , ut ille ait Vetus Comicus , aramus : nobis serimus : nobis eisdem metimus : nobis denique iste pariet laticiam labos .

DIXI.